

est natura intextentibus mundum intextuque concre-  
tis, potentia autem ad terram magnopere eorum  
pertinens, quae propter effectus claritatemque et  
magnitudinem in tanta subtilitate nosci potuerunt,  
sicut suo demonstrabimus loco. Circulorum quoque  
caeli ratio in terrae mentione aptius dicetur, quando  
ad eam tota pertinet, signiferi modo inuentionibus  
non dilatis. Obliquitatem eius intellexisse, hoc est 31  
rerum fores aperuisse, Anaximander Milesius traditur  
primus Olympiade quinquagesima octaua, signa  
deinde in eo Cleostratus, et prima Arietis ac Sagittarii,  
sphaeram ipsam ante multo Atlas.

Nunc relicto mundi ipsius corpore reliqua inter  
caelum terrasque tractentur. Summum esse quod 32  
uocant Saturni sidus, ideoque minimum uideri et  
maximo ambire circulo ac tricesimo anno ad breuis-  
sima sedis suae principia regredi certum est ; omnium  
autem errantium siderum meatus, interque ea solis  
et lunae, contrarium mundo agere cursum, id est  
laeuum, illo semper in dextra praecipiti. Et quamuis 33  
adsidua conuersione inmensae celeritatis attollantur  
ab eo rapianturque in occasum, aduerso tamen ire  
motu per suos quaeque passus. Ita fieri, ne conuolu-  
tus aer eandem in partem aeterna mundi uertigine  
ignauo globo torpeat, sed fundatur aduerso siderum  
uerbere discretus et digestus. Saturni autem sidus 34  
gelidae ac ridentis esse naturae, multumque ex eo